



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 76. Adventus Oratorum Gregorii in Aula Galliæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

subtractionis intimationem suspenden- Sæcul. XV.
dam esse conclusum fuit: timebatur enim, A.C. 1407.
ne edicto Pontifici denuntiato Savo-
nensis impediretur Conventus. Horum
quoque consilium placuit Regi, nil mora-
tus querelas ab Universitate propositas;
quare sancitum est, duntaxat si necessi-
tas suaderet, hoc edictum Benedicto pro-
ponendi libertatem reservandam esse.
Quibus ita conclusis Legati in tres par-
tes divisi discedunt. Patriarcha Ale-
xandrinus cum aliis Romam proficisci-
tur. Archiepiscopus Turonensis, & Ab-
bas Sancti Michaelis Massiliæ cum Be-
nedicto remanent, eo animo, ut illum
non solum ad liberandam promissi fidem
inducerent, sed etiam ut sedulo cunctas
illius explorarent actiones, simulque e-
veniente illius obitu novi Pontificis im-
pedirent electionem. Tandem Philippus
Villetus Abbas sancti Dionysii, Decanus
Rothomagensis, & ceteri Lutetiam Pa-
risiorum regressi sunt, rei gestæ ratio-
nem reddituri.

§. LXXVI.

*Adventus Oratorum Gregorii in
Aula Gallicæ.*

Interea temporis Gregorii Oratores, du-
ctore Episcopo Bononiensi Pontificis
Hist. Eccles. Tom. XXV. G Ne-

Sæcul. XV. A. C. 1407. Nepote ad regiam Franciæ deveniunt, Regemque de sincera, ac prompta Domini sui voluntate edocent, declarantes, Gregorium nullatenus partibus suis defuturum, quo minus celeriter Ecclesiarum unio perficeretur. Hi Legati per benigne excepti omne tempus, quo Parisiis hærebant, e regiõ penu sustentabantur, & redeuntes magnificis cumulati muneribus, literisque muniti sunt, quibus Rex Gregorium, & Cardinales Romanos ad bene cæpta pacis consilia firmiter tuenda adhortatus est.

§. LXXVII.

*Epistola Caroli VI ad Gregorium Papam.**Dach. Spicil. to. VI.**pag. 175.**Monach.**S. Dionys.**tom. a. p. 597.*

Carolus VI Gregorium appellat Amicum sibi carissimum in sua ad illum epistola, cujus inscriptio hæc est. *Viro sancti propositi, & fervente charitate illustrato, Angelo dicto Corario, quem nonnullæ gentes in hoc deflendo schismate Gregorium XII nuncupant.* Hunc pro concludenda unione ad impendendos omnes suos conatus adhortatur, eidemque insinuat, ut ad pium hoc juxta ac salutare obsequium strenue præstandum amore impellatur conservandæ sublimis suæ gloriæ, quam sibi hucusque in totius hujus